



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola VII. Gregorii Papae I. Ad Gennadivm Patricivm Et Exarchvm  
Africae. De peruerso Concilio Numidiae, & de studio erga ecclesiae pacem  
adhibendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

pum dimidiam partem substantiæ suæ Agnello cuidam filio suo , qui notarius nostræ esse fertur ecclesiæ , atque dimidiam eidem monasterio reliquisse. Sed cum propter irruentem Italiam cladem ad Siciliam refugissent , dicitur eam sàpe nominatus Agnellus corruptis eius moribus stuprassè , atque sentiens grauidam de monasterio seduxisse , resque eius omnes , tam proprias , quam eas quas de parte patris ipsius habere poterat , abstulisse , ac post perpetratum tale tantumque facinus , in sui eam dominii iure defendere. Hortamur igitur dilectionem tuam , vt prædictum virum vel antefatam feminam sub disticta ad te facias executione perduci , causamque ipsam secundum suum meritum summa subtilitatis examinacione perquiras. Et si ita inueneris vt nobis nuntiatum est , negotium tot iniquitatibus inquinatum cum summæ purgationis seueritate determina , quatenus & in antefatum virum , qui nec suum , nec illius attendit habitum , & tantorum causa fuit scelerum , vltio disticta proueniat : & illa prius procedente vindicta , atque in monasterium sub poenitentia redacta , omnes res quæ de sàpe dicto loco ablata fuerant , cum omnibus illis suis fructibus atque accessionibus reuertantur.

## EPISTOLA VII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD GENNADIVM PATRICIVM ET EXARCHVM  
AFRICÆ.

De peruerso Concilio Numidiæ , & de studio erga ecclesiæ pacem adhibendo.

*Gregorius Gennadio patricio & exarcho Africæ.*

SATIS credimus religiosam excellentiæ vestræ mentem Saduersus ea maxime , quæ in ecclesiis geruntur incongrua , diuini auctoris æmulatione succendi. Tanto igitur ecclesiasticarum correptionem causarum vobis libenter ingerimus , quanto de pia vestræ mentis intentione confidimus. Cognoscat siquidem excellentia vestra quibusdam de Africanis partibus venientibus ad nos fuisse perlatum , plura in Concilio Numidiæ contra patrum tramitem at-

que Canonum statuta committi. Quarum rerum frequentes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri & coepiscopo nostro, de cuius grauitate ipsa eius quæ percrebuit dubitare iam nos non permittit opinio, commisimus perquirendas. Quamobrem paterno salutantes affectu, hortamur excellentiam vestram, in cunctis quæ ad ecclesiasticam correptionem pertinent, vestri robur ei subrogetis auxilii, ne si quod male geritur quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum usurpatione temporum cum maiori licentia in futuris crescat excessibus. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis prouincia securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitas, & intestina ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.

## EPISTOLA VIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

De Theodosia religiosa, &amp; monasterio construendo.

*Gregorius Ianuario episcopo Calaritano Sardiniae.*

**T**HEODOSIA religiosa femina in construendo monasterio voluntatem Stephani quondam viri sui complere desiderans, petiit a nobis, ut ad fraternitatem tuam nostras transmitteremus epistolas, quibus per commendationem nostram tuum facilius mereretur auxilium. Asserit siquidem hoc a suo coniuge constitutum, ut in praedio, quod appellatur Piscenas, quod ad xenodochi Thomæ quondam episcopi iura peruenit, monasterium construi debuisse. *Quia* igitur in alienis hoc fundare rebus, licet possessor permitteret, Dominus tamen videtur cum ratione refugere; petitionem eius præuidimus annuendam, id est, ut in domo iuris sui, quam Calaris afferit se habere, ancillarum Dei monasterium debeat Domino adiuvante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit ab hospitibus atque superuenientibus onerari, hortamur fraternitatem tuam, ut studeas ei in cunctis concurrere, deuotionique eius tuæ præbeas tuitionis auxilium, ut mercedis defuncti, atque eius studii, tuus te concursus faciat